

15,00.

15,00
R V D I M E N-

TORVM COSMOGRAPHICO

rum Ioan. Honteri Coronensis libri

III. cum tabellis Geographi-

cis elegantissimis.

52

H77

De variarum rerum nomenclaturis
per classes, liber I.



✓ M. D. L X X.


1570 r.

ПАТИЧА

52

М77

1520+



15,00.

15,00
R V D I M E N-

TORVM COSMOGRAPHICO

rum Ioan. Honteri Coronensis libri

III. cum tabellis Geographi-

cis elegantissimis.

52

H77

De variarum rerum nomenclaturis
per classes, liber I.



✓ M. D. L X X.

1570 r.



MÁSODLAT
A M. N. MUZEUMI
SZÉCH. ORSZ.
KÖNYVTÁRBÓL

3 10 315647
Державна Історична
БІБЛІОТЕКА УРСР

R V D I M E N T O R V M C O S
mographicorum Ioannis Honteri Co-
ronensis Liber I.



Œlorum partes, stellas cum flatibus,
Urbes,
Regnaq; cum populis, sparsas & in a-
quore terras,

Montesq; & fluuios, iunctisq; animalia plantis:
officia, sectas varias, operumque labores,

Morborumque simul species & nomina dicam.

Mundus in æthereum, qui desuper imminet orbi,

Inque elementorum duplicatur corpora primum.

Aethereis duplices sphærarum continet orbes,

Fixaque cum septem stellis errantibus astra.

Maiores cycli, qui mundum partibus æquis

Distribuunt, ut signifer æquatorque feruntur:

Quemque dies medius designat, & imus horizon;

Læteus, ac duo qui ducuntur ab axe coluri.

Zodiacus primum bissenis vndique signis
Conspicuus, tropicum attingens obliquus vtrunque

A summo cancrum, capricornum cernit ab imo.

At qui signiferum rectus secat, inque priori

Lanigeri libræque gradu lucem æquat & umbras,

Aequator, media in mundi regione locatur.

L I B E R

Qui paribus spacijs occasum cernit & ortum
 Circulus, & gemino concurrit semper in axes
 Discernitque diem, variatque mesembrinus orbem.
 Hinc medium sphærae superum distinguit ab imo
 Alter, & is cœli primum terraque supremum
 Coniungens, fertur (quia visum finit) horizon.
 Lacteus hinc sequitur candore notabilis ipso,
 Qui solo cœlo spectatur nocte sereno,
 Transuersusq; diu geminum prætermeat axem.
 Nox bini subeunt, qui quatuor antè relatos,
 Seq; secant, gemino coeuntes cardine mundi,
 Tempora qui signant anni, cœlumque per astra,
 Quatuor in partes diuisum mensibus æquis.

Hinc alios numerant prædictis orbe minores,
 Qui per inæquales diducunt sidera partes.
 Circulus ad boream complectitur Arcton, & intus
 Sidera concludit liquidum fugientia pontum.
 Alter ad æstui defixus sidera Cancri,
 Solsticio longum cogit decadere Solem.
 Tertius hunc ultra Brumalis nomine dictus,
 Quo noctem tropico sol porrigit in capricorno.
 Unus ab his superest extremo proximus axi,
 Quem terris pressum notius describit horizon.
 Hisq; parallelis zonis tibi quinque profundum

Dividitur

Dividitur cælum, totidemq; plaqæ orbe premuntur,
 Quarum quæ media esē, rix esē habitabilis æstu,
 Nix tegit alta duas, totidem inter ytranque locatæ
 Temperiem retinent mista cum frigore flamma.
 Hanc nos incolimus, contraq; antichthones illam.
 Nec dubium antipodes multis confistere terræ
 Partibus, ad centrum directis vndique plantis.
 Puncta duo cælum in paruos vbi voluitur orbes,
 Constituere polos, geminoq; à cardine mundi
 Per centrum terræ tenuis dæducitur axis.

Signifer hinc bissex obliquat sidera, quorum
 Sex videt ad boream, sex æquidialis ad austrum.
 Terdenis gradibus signum distinguitur vnum,
 Bis tricena gradus memoratur habere minuta.
 At qui signorum varia esē natura genusque,
 Mascula sunt, aries, gemini, leo, libra, sagitta,
 Fusor aquæ, iunctumq; simul sortita calorem.
 At sibi fæmineam consiscunt frigida sortem,
 Bos, cancer, virgo, capricornus, scorpio, pisces.
 Frigida sunt nocti, sed mascula sacra diei.
 Ipsa quoque bis anni variantur tempora signis,
 Nanque aries, taurus, gemini, sunt sidera veris:
 Aestatem cancer, leo trux cum virginе complent:
 Scorpius autumnum, & duplii cum lance sagittas

L I B E R

Inde hyemem pisces, capricornus, aquarius addunt.

Restat adhuc eadem ternis proportio signis:
Ignea triplicitas aries, feraens leo, Chiron:
Terrea sed taurus, virgo & capricornus habentur:
Aeream sortem chelæ, vrniger atque gemelli:
Scorpius appropriat, piscesque & cancer aquosam.
Denique cum vegetet communis corpora virtus,
Singula membra tamē quoduis sibi vendicat astrū:
Quippe aries capiti, taurus cœrūcibus hæret,
Brachia sub geminis censemur, pectora cancro.
Sorte regit scapulas leo, ventrem atque ilia virgo,
Libra tenet lumbos, & scorpius inguine regnat,
Arcitenens femori, genibus capricornus amator,
Cruraque fusor aquæ reficit, vestigia pisces.

Et quoniam variæ currentes ordine stellæ
Corporis æquales spacio, similesque colore,
Haud internosci poterant, solertia sparsas
Struxit in effigem & variarum membræ ferarum,
Imposuit simuliunctis cognomina stellis.
Ad boream geminas ingens Draco diuidit Arctos.
Hinc subit Arctophylax pariterq; Corona, Lyraq;
Proximq; Engonasis: post hūc ophiuchq; & Anguis,
Mox Aquila & Telum surgunt, & lactea Cygni
Sidera, Pegasus hinc sequitur Delphina, simulque
Andromede,

Andromede, Cepheusq; & Cassiopea parentes,
 Armatusq; gener Peseus: circum ora Medusæ
 Horrida, Deltoton simul Heniochusq; feruntur,
 Hinc Aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo,
 Libraq; scorpions, arcitenens, caper, hydria, pisces.
 Cetus & Eridanus post hæc vertuntur ad austrum,
 Orionq; premens Leporem. Procyonq; refulgens,
 Inde Canis maior stellataq; cernitur Argo,
 Perq; trium loca signorum se porrigit Hydra,
 Craterem dorso gestans, Coruumq; loquacem.
 Hic Fera Centauro resupina tenetur, at ultra
 Thuribulum, notiæ Piscis fugit astra Coronæ.

Sunt etiam propriæ dictorum sidera partes:
 Pleiades in dorso tauri sex esse feruntur,
 Fronte sedent Hyades, fundendis imbris aptæ,
 Inde Propus pedibus geminorum prævia, sed quæ
 In cancro nubem referunt, Præsepe vocantur,
 Moxq; duo circum Præsepe feruntur Aselli.
 Regia stella nitet generosi in corde leonis,
 Virginis in summa gestatur Spica sinistra,
 Sed Protrygeta subit prope dextram virginis alam,
 Quattuor in dextra quæ conspicuntur aquari,
 Vrnam: at quæ pisces connectunt, Vincula dicunt.
 Nodus inesp. Vinclo: pedibus subiecta Bootæ

L I B E R

Arcturi stella insequitur Plaustrumq; Bouesq;
 Postremas Hellices stellas: humeroq; sinistro
 Heniochi residet fidus pluiale Capellæ,
 Inq; manu lœua geminus discernitur Hædus.
 Argus in summa micat inclyta stella Canopi,
 Sirius inde Canis fixus maioris in ore.

Hinc tibi per medium septem declive feruntur,
 Saturn. Sol, Luna, Venus, Mars, Iupiter, Hermes
 Fixa quidem toto circumvoluntur olymbo
 Sidera, sed proprios retinent errantia motus:
 Semper enim currunt fixis contraria stellis,
 Atque domos habitant biffena per astra, suasq;
 Exercent illic proprio quisque ordine vires.
 Luna tenet cancrum, geminos cum virginis astro,
 Mercurius, taurō & chelis Venus ipsa quiescit.
 Feruidus inde leo Soli, sed scorpius ardens
 Atque aries Marti cedunt: hinc piscis uterque
 Centaurusq; Iouem, Saturnum fusor aquarum
 Rectorem agnoscit, simul ægocerotis & astrum.

At planetarum in rapidis distantia signis
 Dicitur aspectus, quo se impediuntq; iuuantq;
 Cum duo planetæ alterutris distare videntur
 Sextam signiferi partem, vel per duo signa,
 Aspectus fertur sexangulus: at tria quartam

Zodiaci

Zodiaci partem cum stant per signa planetæ,
 Conspicitur facies quadrangula: tertia sed pars
 Signiferi reddit per quatuor astra trigonum.
 Denique per medium contraria sidera partem
 Eminus aspectum soliti firmare planetæ:
 Ac certis spacijs concurrere rursus eodem
 In signo, quoties superi obscurantur ab imis.
 Sunt etiam aduersa gemini se parte secantes
 Orbis, quos faciunt Solis Lunaq; meatus:
 Sectio qua Phœbe gelidas ascendit ad arctos,
 Hæc eadē caput est: sed altera cauda draconis,
 Quà Luna imbriferū cursu descendit ad austrum.

Accipe quo spacio perlustrent signa planetæ:
 Saturnus cursum duodena per astra rotatum
 Motu retrogrado ter denis conficit annis.
 Bissenisq; Iouis biffena perambulat astra
 Sidus: at ipse duos gradit Mars amplius annos.
 Sol in se sua per vestigia colligit annum.
 Signa Ven^o, dubiusq; anno min^o amplius Hermes,
 Sed bis quindennis percurrit Luna diebus.

Hinc ortum triplicem nobis posuere priores,
 Quo stellæ ascendunt, obituq; sub æquora pergunt.
 Cosmicus exorto stellas cum sole reducit,
 Cum simul aduersæ tingunt se Tethyos vndis,

L I B E R

Occiduo Chronicus surgentes cernit horiyyzon
Sole & in opposita stellas regione cadentes.
Quin ubi Phœbus equis summo procul axe recessit,
Incipiunt stellæ sensim aparere minores.
Mox cum sol proprietor flāmis opera omnia lustrat,
Astra polo fugiunt, quorum simul agmina cogit
Lucifer & cœli statione nouissimus exit.

Vt stellæ in longum primo distare videntur
Arietis à punto, sic has ecliptica monstrat
Linea signiferi in latum cessisse. Per axem
Et fortunatas quæ transit linea terras,
Inde quidem trahitur distantia longa locorum:
Sed spaciū latum est, quod ab æquatore recedit,
Atque poli gradibus respondet ubique leuati.
Declinat fidus, cum distat ab æquidiali.
Eleuat, ex imo quod in altum mittit horizon.

Messembrinorum quiuis semisse recepto,
Quindenue gradus, respondent protinus horæ
Unius spacio: sex & triginta feruntur:
Quisque gradus denos retinet. quantoq; recedit
Longius à medio noctes æquante diesq;
Orbe, magis coiens geminum decrescit ad axem,
Æstuosq; dies numerosis explicat horis.
At gradus in longum, sub cyclo scilicet æquo:

In

P R I M V S.

In latum, stadijs respondet vbiique locorum
 Quingentis quorum spacia hæc tibi carmina signant,
 (Quatuor ex granis digitus formabitur unus.
 Est quater in palmo digitus, quater in pede palmus:
 Quinque pedes passum faciunt, passus quoq; centum
 Quinque & viceni stadium dant: sed miliare
 Octo dabunt stadia, & duplatum dat tibi leucam.)
 Milleque bis decies passus nunc iura diurnum.
 Constituere via spaciū: miliaria forte
 Quattuor, exiguoē minus nostrata reddunt.

Inferior mundus tellure & aqua, aere & igne,
 Dicitur ex primis rerum confistere causis:
 Ex quibus assiduis vicibus modò cuncta creantur,
 In quæ iterum, quicquid natum est, natura resolut.
 Aeris æthero vis est stabilita sub igne,
 Quæ sibi dissimilis triplici regione notatur,
 Suma calet, media est gelidiissima, proxima vtrunque
 Aestatem ac frigus diuerso tempore sentit.
 Quippe vapor duplex ascendit in aera, primus
 Crassus & humidior propria grauitate tenetur:
 Aridus atque calens sine pondere profilit alter.
 Ex humente quidem concrescere saepe feruntur
 Hybernæq; niues, matutinæque pruinæ,
 Largior & crassis descendens nubibus imber,

L I B E R

Roresq; nebulaq; & mista grandine nimbi.
E sicco alterna generantur sorte vapore,
Fulgura cum tonitru, rapidi cum fulmine venti.

Nomina ventorum posthac patriamque docebo:
Quatuor oppositis veniunt e partibus orbis,
Quos circum varij dextra laueque feruntur,
Impelluntq; leues aduersis flatibus auras.
Frigidus a summo descendit Aparctias axe,
Circius ad zephyrū, Boreas hunc cingit ad ortum.
Auster ab aduerso pluuias inducit olympo,
Ab Lybe qui dictum, dictū quoq; spectat ab Euro.
Insuper & verno flat Subsolanus ab ortu,
Solstitium huic sociat retrahentem nubila ventum.
Brumalesq; tropae violentum flatibus Eurum.
Occiduo Zephyrus de cardine spirat, ac ipsum
Africus hyberno contigit sole cadente,
Ac simul Argestes aestiuo solsticiali.

Tempus & ad solidam propius descendere terrā,
Quæ centro in medio penitus firmata quiescit.
At circum roseis sol vectus ubique quadrigis,
Exortu lucem, discessu procreat umbram.
Eclipsimq; facit, si quando corpora lunæ
Obiectu terra radijs intacta relinquit.
Oppositisq; leuem pingit sub nubibus Irim.

Nec

P R I M V S.

Nec dum etiam solitas diuersis mensibus anni
Continuare vices, variasque nouare locorum
Perpetuo cessat motus a discrimine formas.

Longa parallelis est subita terra duabus,
Vnde dies medium ab reliqua distinguitur horam:
Climaq; in oppositis memoratur partibus orbis.
Atque hinc per Meroen, per niloticamq; Syenem,
Et per Alexandri, rhodij quoq; Appollinis urbes,
Perq; Hellestantum atq; Borysthenis ostia currunt,
Ripheasq; arces, quibus additur ultima Thule.
Inde per antithesim contraria clima a longas
Imparibus spacijs variant noctesq; diesq;.
Quinetiam tellus varia ratione vocatur,
Insula, continuum simul & peninsula, & isthmus.
Aequoreos itidem fluctus, quibus abditus orbis,
Oceanum appellant, pelagusque sinumque fretumque

R V D I M E N T O R V M C O S
mographicorum Liber II.

Nunc quoque terrarum triplices peccurrer
partes,
Europæ, pariterque Asiæ, Libyeque calentis
Aggregiar, priscis miscens noua nominare regnis.
Namque velut rerum cursus sub sole per orbem
Incertis vicibus nunc huc, nunc fluctuat illuc,
Nec retinere valet stabilem per secula sortem:
Sic olim indigenis bello, fame, peste fugatis,
Nomina saepe nouis sunt commutata colonis.
Finibus Europæ clauduntur Iberica regna,
Quæ prima oceanum spectant, solemq; cadentem.
Hinc sursum versus borealia littora Galli,
Germanique tenent, & gentes Sauromatarum,
Quæ Scythiam partim contingunt solis ab ortu:
At Scythiam Thraces opibus belloq; superbi,
Et Macedum quondam clarissima regna sequuntur:
Græcia de hinc notum longe procurrit ad axem,
Cui Peloponnesus bimari coniungitur Isthmo:
Hinc procul Ionios exceptans margine fluctus
Adrias, Illiricis Italos se iungit ab aruis.
Europæ medium Dacorum regna tenent: mox

Pannonia

S E C V N D V S.

Panoniae tellus vicinis iuncta Polonis,
Undique terrificis premitur nimis obvia bellis.

Principioq; triplex Hispania continet urbes,
Bætica quas posuit, quæ nunc Granata vocatur:
Quasq; Tagus spectat per Lusitania regna,
Quæ modo Castiliæ mutato nomine tellus,
Gallicæ simul & Portugalensis habetur.
Et quas præcipiti cursu pertransit Iberus,
Qui per Nauarram Tarragonensia rura
Obliquus fugiens, pelagi coniungitur vndis.
Corduba principio præpollet, & Ispalis urbes,
Priscaq; Tartessus, Paxiulia, Compostelia,
Hinc & Ulyssipo simul & Salmantica, moxq;
Illipulæ magnæ & geminæ Carthaginis arces.
Toletum, infelixq; olim Numantia, Burgis,
Mœniaq; Emerita, & Gallis vicina Gerunda.
Tum Pompeiopolisq; Augustaq; cæsaris, atque
Tarraco quæ nomen citimo dedit inclyta regno.
His iungas veterem cum Barchinone Saguntum,
Dertosamq; urbemq; Valentis nomine dictam,
Ac plures alias, ubi non obscura feruntur
Flumina, & hesperio recludunt ostia ponto,
Bætis, Anas, Doriæq; simul Minijq; fluenta,
Et Tagus auriferis passim facundus arenis,

L I B E R

Hic Sacrum, Nerium, promontoriumq; Trileuce
Oceano incumbunt: pelago Scombraria, Calpe,
Quæ sociam spectat trans æquora stricta colūnam.

Gallica Pyrene sublimi vertice regnā
Hispanis terris discernit solis ab ortu,
Quatuor in partes diuisa: Aquitania prima es^t,
Celtica quam sequitur: sed Belgica Narbonensem
Desuper arctois submotam spectat ab oris.
Has nunc alternis vicibus tenuere minores,
Gasconij Turonensesq; nouiq; Brittanni,
Normandi, Franci, Bourbonenses & Auerni,
Picardi Flandriq; Hanones ditesq; Brabantii,
Campaniⁱq; & quos Burgundia præsa Sabaudis,
Ac Delphinatus pariterq; Provincia iungunt.
Verum Aquitanoru celebres memorabimus vrbes:
Primaq; Burdegala es^t, post hanc Genebūq; tenetur,
Et Turonenis tellus, & Auaricon, Andes.
Lutetiam inde colunt, & Lugdunensia Celtæ
Mœnia, sed cessit Rotomagus in ordine Belgis,
Et Ganda uorum populi, ciuesq; Louani.
Tullion hinc Lotharingorum atq; Metensia rura
Intermixta manent germanis vndique terris.
Cis Rhodanu Auenion iacet, Allobrogūq; Vienna:
Mox Arelas Genevæq; lacus, Visontion, atque

Massiliu

*Massilia externis quondam constructa colonis.
Ulterior Narbo, Mons pessulus atque Tolosa.
Sequana post Mosam, Ligeris, fluuiusq; Garunna,
Oceani repetunt diuersa per ostia fluctus.
In medium pelagus concordi fluminis alueo
Ipse Araris Rhodanusq; Isara atq; Drueta currunt.*

*Germanas etiam terras prope flumina Rheni,
Atque alias alio iungam sub sole iacentes.
Occiduas partes gens martia Germanorum
Heluetij, simul & Vasti colit incola regni:
Moxq; Sicambrorum populi, cultiq; Bataui.
Cimbrica cum Frisijs Septem subiecta trioni
Chersonnesus habet Pomeranos proxima saltus.
Slevia sed roseos solis consurgit ad ortus.
Inde Morauorum transgressus rura videbis
Austriacos colles & campos vitibus aptos.
At Styria scopuli, rarisq; Carinthia campis
Australes, tangunt Athefina cacumina: moxq;
Heluetiae summis æquanda nubibus alpes,
Quatuor in partes aliò currentia fundunt
Flumina, Danubiū, Rhenū, Rhodanūq; Padumā.*

*Interiora tenent diuerfis Teutones arua
Nominibus, iuxta Hercyniam cultissima syluanis
Rhaetia Vindelicos Virettembergensibus agris*

L I B E R

Diuidit: Alsaciam posse hos Franconia iungit
Hessorum populis: quin & Turingia Misnae
Saxonas ac Marchos sociat, sed Noricat angit
Oppida, continuis munita Boemia syluis.

Trans Rhenum celebris Constantia prima tenetur.
Mox Basilea, simulque Argentinensia rura.

Treueris inde vetus Maguntinensibus aruis
Iungit Aquisgranum, Agrippinensesque colonos.
Geldria, Traiectum pariterque Antuerpia magno
Vicinae oceano, cis Rhenum plurima passim
Oppida respiciunt Frysiorum ac Vestfala rura.

Lipsia Brunsuigam gelidas hinc spectat ad artos,
Cassiliam ad zephyrum, disiunctos rursus ad amnes
Hinc atque hinc geminam Francfurti dispicit urbem.

Asc Erfordensi succedit proxima traclu
Heripolis, simul & vicinior Ulma Tubingae.

Norica metropolis posset has, & Praga sequuntur,
Breslaueque Lubecumque ac Vuittembergam: sed ultra
Danubium, tepidoque habitata propinquius austro,
Grecia, Villacumque, Oeniisque cacumina pontis.

Hisque Salisburgam societ, pulchramque Viennam.

Cumque Ratispona Monachum: dehinc Vindelicorum
Augustam placet, & Patauinias addere ripas.

His quoque largifluifontes miscentur & amnes:

Ad

*Ad boream currunt Amasus, Visurgis & Albiss.
Rhenus, & hinc Odera, ac popularis utriq; Sueus;
Danubius reliquos secum ducit ad ortum.*

*At nunc Sarmaticos campos Scythiamq; nitale m
Cis Tanaim fluum & Maeotidis ampla paludis
Æquora, sub stellis geminæ lustrabimus Ursæ.
Hanc terram primum veteres coluere Agathyrsi,
Et cum Thyssagetis Nomades, rigidiq; Georgi,
Quin & Hamaxobij plaustris sine sede vagantes,
Basternæq; Getæq; sagittiferiq; Geloni.
Insuper Euxino propior gens Taurica ponto,
Taurica supra alias quondam sauvissima gentes:
Sed cultus terræ prostremis mitior annis
Contigit. Hisperiam partem zephyrisq; propinquā
Nunc propria duplices retinent ditione Poloni,
Et quæ Sarmatico coniuncta est Prussia ponto.
At Massouitas simul & Samogitia rura,
Ab boream acclivi sequitur Liuonia tractu.
Nec procul Hippophagis affinis Russia Moschis,
Iunctaq; Lithuanos tangit Podolia saltus.
Est etiam extremo quedam sub cardine tellus,
Ac Noriuegorum glaciali proxima ponto
Litora & idomitis contermina Suetia Gottis,
Scanorumq; rigens arctoo frigore tractus.*

L I B E R

Sed tamen & cœlo propiora fruuntur iniquo
 Oppida, Riphæis nimis infestata pruinis.
 Atque ideo raræ indigenis cultoribus vrbes,
 Quas inter celebris Posnania prima Plocenses
 Dantiscoſq; pari discerint limite campos.
 Inde Toronensi Mons regius aditur vrbi,
 Moxq; propinqua Rigæ Marieburgensibus agris
 Littora. Sarmaticiq; caput Cracouia regni:
 Quin & Lublinæ sociata Premislia terræ,
 Vilna quoq; & propior Leoburga repentibus austriis
 Istula præterea, liquidiq; Borysthenis vnda.
 Pluraq; per Scythicas currunt sine nomine terras
 Flumina, stagnantesq; augent remorata paludes.

Sed iam tempus erit propiores viscere partes,
 Pannionam Illyriamq; simul, Thracenq; cruenti
 Mauortis patriam, nimium nimiumq; propinquos
 Dalmatiæ fines, vastatamq; vndique Bosnam.
 Myforum inde solum, Dacorumq; oppida: quæ nunc
 Moldauiq; tenent, transalpiniq; Valachi.
 Et quæ carpathio septem circundedit arces
 Vertice, bulgaricis modò Transyluania terris
 Haud multū disclusa. Sed enumerabimus vrbes:
 Regia Budensis prima est, mox Agria, post quam
 Creminiciæ montes, Posonenſiaq; arua sequuntur,

E

Et cum Strigonicis Cassouia prisca colonis
 His quoq; Bellogradū, & regalē iungimus Albam,
 Emporiumq; simul Varadini, atque alta Cibini
 Mænia, præcipitiq; sitam sub monte Coronam,
 Quam primā Europe Christi documenta sequentem
 Sol oriens radijs lustrat propioribus urbem.
 Mox Adrianopolis Sophiæ vicinior aruis,
 Nicopolisq; triplex iacet, & Selymbr ia, Varna:
 Inde Liburnorum Scardona, simulq; Ragusi.
 Quæq; tenent Ponti Byzantia litora fauces,
 Quid memorē Anchialonq; Heracleāq; Perinthūq;
 Abderamq; Maroneamq; & Olynthon & Aenon,
 Callipolimq; & quæ sociant freta Seston Abydo,
 Atque alias, quarum iam nil nisi nomina restant?
 Imò etiam patrijs nunc vix hæremus in oris.
 Non tamen antiqui desunt regionibus amnes.
 Danubius secum defert Oenumq; Lycumq;
 Germanos fluuios: sed aquæ septemplicis Istri
 Nomine mutato decliviibus vndique ripis
 Præcipitē Drauum ac Sauū, placidumq; Tibiscum,
 Et patrum simul in Pontū comitantur Alutham.
 Strymonis Aegæo, Nessiq; Hebrei q; fluentia
 Miscentur pelago. Montes quoque partibus illis,
 Ismarus & Rhodope, coniunctusq; Orbelus Hæmo,

L I B E R

*Et qui Dalmaticis late discernit ab oris
Rascenses populos sinuoso vertice Scardus.*

*Vlterior Macedū tellus, quondam inclyta regna,
Continet Albanos, mox Paonas atque Pelasgos
Aemathiae campos quoque, Mygdoniaeq; recessus.
Has prope Thessalicis Magnesia iungitur agris,
Doris item spectat Locrensi rura, sed vltra
Proximat Aonijs Phocensis & Attica tellus.
Trans Isthmum Aetoli simul & vicinus Acarnan,
Epirusq; iacet, varijs distincta colonis.
Atq; haec prīca quidem, nunc Turcia tota vocatur,
Halladis at vix dum vestigia parua super sunt.*

*Quin igitur veteres potius celebrabimus urbes:
Primaq; Dyrrachium est, vrbisq; ab Apolline dicta
Mœnia, Pieriaeq; domus gratissima Musis.
Hinc Hypatæ Phtbiae& & Larissæa sequuntur
Oppida, mox & Opis, & Pella insignis alumnis,
Et quæ prima fidem nostrum diffudit in orbem,
Amphipolisq; simul, nec non Berræa Philippiq;
Et Thæbæ Baccho celebres, & Apolline Delphi.
Aulidis hinc portus, Megara & cerealis Eleusis,
Tum proprium diuæ cognomen & vrbis Athenæ.
His quoq; Naupactū, Anticyrā et Calydonia rura,
Leucadaq; Ambraciāq; simul, glandisq; feracem
Dodonam*

Dodoniām & celsam Buthroti iungimus urbem.
 Per Macedum fines pelagi petit Axios vndas
 Nec procul & Chabrius rapidiꝝ Haliacmonis am-
 Peneusq; fluēs medius per Thessala Tempe; (nis,
 Sperchij Ismeniꝝ vadum, Cephisus & acer
 Illissus, crebrasq; vrgens Achelous arenas.
 Quinetiam varij celebrantur in Hellade montes:
 Pelius, Othrys, Athos, & fato nobilis Oeta
 Herculis, & bijugo Parnassi vertice colles:
 Virgineusq; Helicon, natusq; ad sacra Cithæron,
 Ossaq; cum Pindo, maiorq; ambobus Olympus.
 Hinc spectant Adriæ prærupta Ceraunia fluctus,
 Sunion Ægæum. Sed vastas carmine terras
 Halladis emensi, bimarem transibimus isthmum.
 Ac simul argolicas & achæidas atque Laconum,
 Et Peloponesi reliquas per littora gentes,
 Vrbibus ex proprijs dictas lustremus, & intus
 Arcadas antiquos: quibus, adiicientur & vrbes,
 Argosq; Sparteq; agamemnoniæq; Mycena:
 Mox Epidaurus adesce, & nobilis ære Corinthus,
 Olenus & Sicyon, Patræq; humilesq; Cleone.
 Gythion ac Træzen, Messene, notaq; Lerne.
 Inde Methona, Pylus. Pisarum atq; Elidis vrbes,
 Mantinea, Tegeæ, Megalopoleosq; coloni.

LIBER

Inachus Argolicos campos, Asopus Achiuos,
 Eurotas cultus Lacedæmonis irrigat agros:
 Nec procul Alpheus lapsus subter mare qui posse
 Ore Arethusa tuo siculis confunditur vndis.
 Arcadiam illustres incingunt vndique montes,
 Menala, Taygetus, Pholoe ac Stymphalides um-
 Et cum Cylleno gelidi pineta Lycei. (bra,
 In mare Spiraum tendit, Maleaq; furentis
 Aestus, & acritas ac Tanarus ostia Ditis.

Hesperios procul hinc tractus, atq; Itala regna
 Incingit mare quod suprà, quodq; alluit infrà:
 Sed medium duplices secat Appenninus verinque
 Ausoniā in partes. Adriam littusq; sinistrum
 Cum Carnis Venetiq; colunt, Galliq; rogati,
 Umbri, Picentesq; viri, Prisciq; Sabini,
 Pelignosq; sequens Frentanus & Appulus agros.
 Hic Salentini Calabriq; per oppida campi,
 Magnaq; in Ausonijs habitatur Græcia terris.
 Brucia Lucanos tyrreno litorie primos,
 Et Campanorum letos circum aquora colles,
 Volscorumq; domos spectat, veteresq; Latinos,
 Hinc Ligurum populos, Hetruscumq; penates,
 Iusubriumq; agros, spaciofasq; insuper vrbes:
 Quæq; tenent Veneti munita palatia ciues,

Ex

Et Mutinæ Pataviq; arcæ, ditisq; Rauenna.
 His trorum inde iacent Tergeste, Aquileia traclu:
 Ultra Ancona mari spectata, Bononia campis,
 Mox & Ariminon & Ferraria, Nursia, Sulmo,
 Sipuntum atq; Amiterna domus, Venufinaq; rura,
 Brudusii, Hydruntuq; propinquaque tecta Crotonis.
 Inde Tarentinæ Metapontum iungimus urbi,
 Rhegion ac Locros, biperiq; rosaria Pæsti,
 Sirenum scopulos, promontoriumq; Minerue,
 Surrentum, Capua atq; altu Præneste, Salernum,
 Parthenopesq; arcem, & Cumæa templo Sibyllæ,
 Nuceria & Nolæ Beneuentanosq; colonos,
 Antiphataq; domum, & circeæ littora terra.
 Mox Caeta iacet, Sinuessaq; Tybur, Aquinum,
 Ardeaq; & rerum quondam pulcherrima Roma.
 Roma caput mundi: Perufinaq; rura sequuntur,
 Et Florentinis immissus mænibus Arnus.
 Nec Mediolani pulchram reticebimus arcem,
 Derthona Ticinumq; simul, Genuamq; superbam,
 Tridentum, Pisamq; urbem, veteremq; Cremonam,
 Mantua quæ sequitur, Verona, Placentia, Parma,
 Atq; aliæ plures, quas præterlabitur amnis
 Eridanus, post hunc Rubicon præcepisq; Timauus:
 Hinc Tifernus, & Hirpinis è montibus ortus

L I B E R

Aufidus: ac Tuscum qui deuoluuntur in æquor,
Vulturnusq; celer, Silari Sarniq; fluenta,
Cuiq; fuit rerum concessa potentia, Tybris.
Sed quis finis erit, si prosequar omnia verbis
Oppida & apricos colles, sylvasq; lacusq;
Fluminaq; & campos, sinuososq; vndique portus?
Omnia sunt fama totum vulgata per orbem.

R V D I M E N T O R V M C O S-
mographicorum Liber III.

Hactenus Europa lustratis ordine regnis,
Et procul hinc vetis immēsa per aquora vecti,
Tandem Asiae magna populos videamus & urbes.
Hanc late triplici contingens littore vastus
Alluit oceanus. Zephyris obuersa tenetur
Inclyta Syrorum tellus, Asiaeq; minoris
Portio, & antiquo notissima carmine Colchis.
Tum variæ gentes passim deserta Scytharum,
Mox etiam tenui felices vellere Seres,
Tartariciq; tenent borealia rurra coloni.
Hinc oriens Scythiam trāc celsū spectat Imaum,
Regnaq; translatum quæ restant India Gangem,
Quinetiam interior longe procurrit ad austrum
India, Carmanisq; propinqua Gedrofia terris,
Perfidis

T E R T I V S.

Perfidis inde solum sequitur, Chaldaeaq; regna,
Totaq; churisuris Panchaia pinguis arenis.
Multæ intus gentes, celebres populiq; potentes
Terrarum varios sparsim tenuere recessus.

Sed nos iam Syriæ pennis aduersa fauoni
Littoraq;, & terram lustremus melle fluentem,
Prima Palæstinam Sirbonidis alluit vnda,
Mox & oliuferis Iudeæ collibus, illinc
Phœnissas pariter gentes, Apamenaq; rura,
Verum hinc palmiferam prorsus sociabis Idumen.
At Galileorum spaciose limite fines
Latifluis Iordan scindit Trachonitidis aruis,
Interiusq; solum bis quinis vrbibus aptum,
Hinc Cœlem syriam, hinc Casiotidis aspicit agross
Insuper & medium concludunt flumine terram
Tigris & Euphrates, qui per Babylonica lapsi
Mœnia, volvuntur sinuosum in Persidis æquor.
Sunt etiam egrægïæ dictis regionibus vrbes,
Ascalo & Antipatris, pariterq; Azotia rura,
Et Samaritanis habitata Sebasta colonis.
His sacram Solymoruæ adem, Gazamq; potentem,
Cæsaream duplicem, & priscam iungemus Ioppen,
Cum Sidone Tyrū celebre, & Ptolemaidis urbem,
Beryton ac Tripolin, Myriandron, Laodiceam,

L I B E R

Tiberij atque alias Galilæi littoris arces,
Et Gadarenorum fines urbemq; Scycharum.
Nec procul Europum claramq; videbis Edessam,
Nisibin, & latio maculatas sanguine Carras.
Est quoque diuersis non vna Seleucia terris,
Prima tenet latus, medios colit altera campos.
Palmyra deinde subest, Hierapoleosq; coloni.
Antiocheia duplex, quarū accolit altera Taurum,
Altera per medium labentem cernit Orontem.
Chrysoroas pulchro præterfluit amne Damascum.
Iordanisq; sacer geminis è fontibus ortus,
Per latas valles & amoenos vndique saltus
Tandem Asphaltitæ diris immegitur vndis.
Hoc tractu quondam Deus impietate superbas
Sulfureis flammis Sodomorum perdidit vrbes.
Et Iericunte quidem similis vindicta secura est:
Totaq; nunc regio prisca viduata colonis,
Obruta desertis vestigia querit in agris.
At nunc præcipuos videamus in ordine montes,
Fæcundum cedris Libanum, celebrataq; fama
Carmeli iuga: mox è quo Deus ipse tremendo
Fulgure cum tonitru lapsum perterrit orbem.
Inde duplex Casius geminato vertice surgens,
Hinc Pelusiaca, inde Seleuci iungitur vrbi.

Verum

T E R T I V S.

Verū age nunc tandem portas superemus Amaui
 Ac primos Cicicum populos, Asiaqz minoris
 Littora, & internos peragremus ubique recessus:
 Pamphyliam & Lycias vrbes, Lyciaeqz propinquos
 Caras, & Aegai confines æquoris agros:
 Ionie clarasqz domos, Lydosqz penates,
 Aeolidosqz & Mysorum quondam inclitarura.
 Hinc Rhœta iacent Phrygiae clarissima bello
 Littora, principiumqz Propontidis Hellespontus:
 Mox Bithynorum fines, quæ strictior alter
 Bosporus Euxinum pontum concludit: at ultra
 Paphlagonum tellus coniuncta est Leucosyrorum,
 Cappadocu & Chalybum ferri prægnantibus agris.
 Inde Lycaonia Pisidarumqz arua, simulqz
 Maeones & Galatae medios tenuere recessus.
 Verum ea barbarie nunc tam confusa premuntur,
 Ut neque sint noti fines, neque mænia terris:
 Atque ideo veteres vrbes, & prisca locorum
 Nomina, & insignem quondam celebrabimus Issum
 Mox intus Cydii diuisam flumine Tharsum,
 Et crassam Soloen Pompei nomine dictam,
 Coryciamqz urbem pariter portumqz specumqz
 Nec procul Aspendus ripas tenet Eurymedonis.
 Hic etiam Attalicis colitur vicina colonis

LIBER

Cynthia Pergensis simul & Patereus Apollo.
 Inde Craiq*u*, iugum, nocturne*q*, igne Chimaram
 Terribilem, & Xanthi flauas linquamus arenas?
 Pisco sam*q*, Gnidon potius, claram*q*, sepulchro,
 Vrbem Haliacarnassum, & Mausoli nomine regis,
 Ægæiq*u*, alias memoremus litoris vrbes:
 Ionica*q*, caput gentis, celebrem*q*, virorum
 Mileton patriam, & Mycales sub rupe Prienem,
 Cum Colophone Ephesum Latoidos æde superbam.
 Hinc Sardi coniuncta tenent vineta Timoli,
 Clazomenæ littus, sinuosos Smyrna recessus.
 Interius Trallis, Philadelphia, Laodicea,
 Pergamus ac Thyatira: sed & clarissima rerum
 Troia sub Idæis radicibus, vnde Scamandri
 Dicit Simeontis aquæ voluuntur in Helleponsum.
 Antandrus post hac subit, in*q*, Propontidis oris
 Cycicus, extremo*q*, iacens Nicomedia Ponto.
 Hanc supra ad boream sunt & Chalcedones agri,
 Atque Hèraclei fines, ubi dicitur olim
 Cerberon Alcides ferro duris*q*, catenis
 Ex Acheronte imo superas traxisse sub auræ.
 Nicæam Ascanius, sed Prusam illustrat Olimpus.
 Inde Cythoriaco cum monte videbis Amastrim,
 Et Teutrantero fines, notam*q*, Carambin:

Mox*q*

T E R T I V S.

Moxq; Sinopenses medijs spectantur Amisi
Partibus, irriguisq; assuet a Themiscyra campis,
Hic & Amazonidū prope flumina Thermodoontis
Castra fuisse ferunt: extrema in littora Ponti
Vertice montano Trapezus inclusa recessit.
Interiore Sebastopolisq; & Amasia tractu,
Ancyra & Iconium, Derbe, cumq; vrbibus amplis
Antiochenorum, vix nota parte coluntur.
Hic tamen Aegeo curuis illabitur vndis
Maander, simul & cantu celebrata Caystria
Flumina, Pactolo coniungitur aurifer Hermuss:
Vorticibusq; altis remorata fluenta Cayci,
Atque alij subeunt non parui nominis amnes.
Parthenius posthac, & Haly vicinior Iris,
Sangariusq; petunt Euxini littora ponti.

His tamen omis̄is pariles videamus ad ortum
Armenia tractus, praefecturasq; potentes,
Et Pariedri altos apices, montesq; Ceraunos:
Ulteriusq; auro celebratam & vellere Colchin.
As̄c Albanorum medios includit Iberos
Planicies, finem Cyro quæ dicit ab amnes,
Et premit eoas Hircano littore partes.
Samosata Euphratis ripas, Melitenaq; rura,
Tigranocerta tenet colles, Artaxata campos.

Caspia quā praeceps ad littora fertur Araxes.
 Inde Dioscorias in finibus Heniochorum,
 Mercibus externis & vocum mille figuris
 Inclita, latifluas despectat Phasidis vndas.
 Nec procul Hermonassa vetus, vinclisq; Promethei
 Caucasus, ac niuibus syluisq; grauatus opacis.
 Essedones Colchis accedunt, moxq; Coraxi,
 Cimmeriaeq; graui pressæ caligine terræ
 Inde Melanchlænis Maeotidos accola Sindon
 Iungit laxamatas Scythici probe flumminis oram:
 Quin & Hyperboreos montes, Scythiaeq; niualis
 Interiora tenent varia sine limite gentes.
 Prima Arimasporum gryphis inimica propago,
 Finitimi quoque Amazonicæ telluris Alani:
 Adde & Arimphæos laxararumq; recessus,
 Hippophagos, Anthrophagosq;, Galactophagosq;
 Quiq; intus folijs depectunt vellera Seres:
 Multaq; præterea Scythicæ cognomina gentis,
 Quas procul à Tanai boreali parte iacentes,
 Immensus medium percurrentis asida terram
 Taurus ad extremum discludere dicitur ortum:
 Taurus, qui dites populos terrasq; potentes
 Indorum cepidos late speculatur ad austros.
 Hic iacet emporijs cellus opulenta marinis,

Fertilis

T E R T I V S.

Fertilis omnigenum rerum: semperque virenti
 Fronde nemus bifera crebros parit arbore fructus,
 Multaque vastarum nutrit portenta ferarum.
 Nullæ illic hyemes: sed sol æstate perenni
 Vicinis radijs vernantia temperat arua.
 Atque ideo multæ gentes & maxima regna,
 Sinarumque solem & Chryse peninsula: sed quis
 Omnia barbarici tractus longeque remoti
 Nomina, tam tenui valeat percurrere versu?
 Indica eis rapidum spacioſo flumine Gangem
 Terra, Palimbotrosque Chelonophagosque colonos,
 Bracmanesque tenet, mox duros Gymnosophistas,
 Bucephalaque urbis fines, Nysamque superbam,
 Quam Bacchus quondam primis orientis in oris
 Condidit: at Macedo non inferiora reliquit
 Oppida transgrediens armis vietricibus Indum.
 Haud procul oceani per littora flexa, Gedroſi.
 Carmaniique iacent, & florentissima regna
 Perfidis ulterius Chaldaeorumque penates,
 Orchoa, Persepolisq, simulq Hecatompylos urbes,
 Susarumque arces, Babylonicaque arua coluntur.
 As in secessu dupli circundata tellus.
 Äquore, Petraos montes, desertaque passim
 Iugera, felicesque Arabum distinguere campos

C

L I B E R

Dicitur: hæc Nabatæorum procul intus ad ortus,
 Pancheumq; solum Pygmaorumq; phalanges
 Terribilis gruibus spectat, pinguesq; Sabæos.
 Hæc thuriis lahrymas, & odores pascit amomi,
 Cinnamaque, custumque simul, casiaeq; saporem,
 Et nardi fruticem, ac stillantem cortice myrram,
 Nunc Sarraceni redolentibus vndique campis
 Rura tenent, Mechamq; superstitione potentem,
 Atque alias celebres dictis in partibus vrbes.
 Sed nos Hyrcani repetemus litoris oram,
 Assyrios, Medos, Hyrcanorumq; colonos,
 Cyropolimq; arcem, Niniq; ad Tigridis vndas
 Mænia, & Ecbatanis iunctâ Ctesiphonta vetustis,
 Arsaciaque urbis tractum longeq; remotos
 Bastrorum populos, Paropanisadumq; recessus.
 His Arianorum gentes, Parthosque fugaces,
 Sacharumq; domos, Arachosiaq; insuper arua:
 Multaque, si libeat, Latiae non cognita lingua
 Oppida, iam dictis poteris coniungere terris.

Africa nunc sequitur feruore notabilis ipso,
 Vasta, minusq; frequens, tantum facunda ferarum.
 Interius quæ sol medius nullas iacit umbras,
 Vruntur flammis, fuccisq; teguntur arenis
 Deserti tetro serpentum afflamine campi:

Quodq;

T E R T I V S.

Quodque die, solis violento incanduit æstu,
 Humida nox reficit, paribusque refrigerat horis.
 Sed notam Libyci peragrantes littoris oram,
 Solis ab occasu, solis videamus ad ortum,
 Anteique domum Tingin, constructaque Mauris
 Oppida, cum stellas humeris Atlanta ferentem:
 Unde Molucha fluit, Maluæque propinquior vnda.
 Hic simul Icosium Cartennæque arua coluntur,
 Pluresque indigenis noti cognominis vrbes.
 At Numidas fines præterfluit Amsaga: post quem
 Hipponis geminae Colopisque videbis utrinque
 Mænia, Rusicadæque solum, sedemque Siphacis
 Longius à pelago Cyrtam, & quos Tabracæ cæpos
 Incolit: hinc Uticam & magnæ Carthaginis urbem
 Bragada limitibus nimium discernit inquis.
 Mox geminæ Leptis tractus, Syrtisque propinqua
 Clupea cum Taphris, ubi fundit in æquora Triton
 Collectas fluvio ternisque paludibus undas.
 Hic circum gentes Nasamonum, Punica late
 Terra patet: mirumque nimis quod inhospita Syrtis
 Litora Lotophagum diris incingit arenis.
 Proximus hinc sequitur Cinyps, areque Philæmon.
 Mox ad deuexum penitus Catabathmon habebis.
 Pentapolis tractum, & claram Ptolemaidis urbem

L I B E R

Hesperiam, Arsinoenq; simul, mediumq; Cyrenen;
Ammonisq; domū, & geminam procul intus Oassim.
Marmaridæ post hac passim sine mœnibus ullis
Vilia dispersi subeunt magalia ciues.

Inde Parætonium Mareoticaque ariua sequuntur,
Cum campis Aegypte tuis, qui littora rubri
Vasta tenent pelagi, longoq; ex ordine tractu
Aetiopum terris patrium clauduntur ad austrum.
Hic perhibent moles per iugera multa iacentes
Pyramidum celsas superare cacumine nubes:
Hic Psammetichi regis labyrinthius error:
Pluraq; non minus his extant memoranda, sed vltro
Urbis Alexandri pariter, veterisque Canopi,
Et Pelusiaca gentis prope littora fines,
Ac procul à pelago celebres recitabimus urbes:
Antique Memphi iunctam Babylonam recentem,
Bubasti, Taneos, claramque Hyperionis arcem,
Vermopolinque, Cynông; polin: mox deinde videbis.
Ineus ubi Nilus Cancri secat astra, Syenen,
Centifores Thebas, cultamque Diospolis aulam,
Et crocodileis exercita Tentyra monstris,
Omnigenumque deum dictis procul oppida terris.

Inde sub Aegypto minus hospita solis ab æstum
Terra iacet campi longe lateque patentis,
Monstrorum

T E R T I V S.

Monstrorum domus, & rapidis loca subdita flāmis.
 Decolor Aethiopum populus per littora sparsim
 Obtinet ardentes vario cognomine tractus.
 Troglodytarum cultis hac parte cauernis
 Lucifero primi Blemyæ iunguntur ab ortu.
 Asē Agisimba procul gelidis discedit ab arctis.
 Atque umbras rerum vicinos iactat in austros.
 Hic memorant Nilum Lunæ de montibus ortum,
 Per varios riuos vastosque paludibus auctos,
 Hinc Elephantinamque urbem, lateque patentem
 In medio Meroen concludere: proxima sed posē
 Aegyptus latis spaciantem flumine campis
 In pelagus Pharium septena per ostia fundit.
 Interius deserta tenent nudi Garamantes,
 Mox Elephantophagiq, Antropophagiq, feruntur,
 Et Camphasantes timidi, Satyrique petulci.
 At procul hesperium late per littora tractum
 Atlantesque feri, Getulorumque coloni,
 Nigritæque habitant, simul & Phaurusia pubes:
 Insuper & plures alibi: sed promptius altis
 Nubibus, & nitidis dederim cognomina stellis,
 Quām totidem populos, linguas, faciesque locorum,
 Regnaque terrarum, cumque ipsis oppida campis,
 Apricos montes, & opacas vndique sylvas,

L I B E R

Stagnantesque lacus, & crebri vorticis amnes,
 Littoraque & gratos passim comprehendere portus.
 Has tamen è multis variarum nomine rerum
 Percurri breuiter mixtas regionibus vrbes.
 Quarum pars supereft priſco ſub nomine, pars eſt
 Excidijs deleta: locisque manentibus ijsdem,
 Per totidem linguis & ſecula temporis acti
 Nomina diuerſis cauſis mutata feruntur.

Nunc locus oceani, quæ ſunt à Gadibus uſque
 Auroram, & totum quā circumpleteitur orbem
 Nereus, aequoreis ambitas dicere terras
 Fluctibus, extremo terrarum fine coluntur
 Cassiteri vena celebres grauiore metallo.
 At procul Hyberniſ ſuccedunt Anglica regna,
 Litoribus Scotiæ coniuncta: ſed Anglia primam
 Londinum, & claras per littora continent urbes.
 Orchades hinc multæ numerantur, & ultima Thu-
 Atque in ſeceſſu propior Selandia tellus (le.
 Ulterior Scythicus boreali frigore pontus.
 Horret inacceſſus glacie densisque pruinis.
 Multæ autem terræ ſolis redeuntis ad ortus
 Undique laudatis habitantur in aequore campis:
 Sed vix nomen habent peregrinis versibus aptum.
 Taprobaneque orbis medium ſortita receſſum,

Lucibus

T E R T I V S.

Lucibus aquatis depresso conspicit axes.

*Hanc circum oceano variarum altrice ferarum,
Quin & Erythræo plures memorantur in alto.*

*Gorgonis hinc sedes, & in hospita tecta Medusa
Hesperio tractu surgunt: mox arua beata,*

Et fortunatæ sparso fine semine terræ.

*E&c etiam vltierius non visa prioribus annis
Insula, diues opum cultuq; immanis agresti,*

*Quam lucri studium, rerumq; cupido nouarum
Prima sub extremo conspexit sole cadente.*

*Illatamen valeant iam nunc propiora sequuntur,
Herculeoque freto positis vtrinque columnis,*

*Intromissa fluunt per apertas æquora terras,
Extantesq; vagis campos mirantur in vndis.*

*In primis Ophiusa mari consurgit Ibero,
Cumque Ebusitanis Balearica regna colonis,*

Atque alia plures passim sine honore iacentes.

At brevibus spacijs despectat Corsicatellus

Littora Sardiniae: Tyrrhenum deinde per æquor

Pontia cum Prochyta, Capree, Planasia: moxq;

Scylla ferox canibus, simul & Zanclea Charybdis.

Ausonia Siculaque tenent confinia terræ.

Inde Pithecusa, Lipara & Vulcania, post quas

Strongyle, & innumeræ penitus visuntur in alto

С 4

ст. д. від. 1867 р. ленк

ІМЕДЖИВАНО УКРАЇНІ

БІБЛІОТЕКА

LIBER

Insulæ: ante alias sed enim præstantior (olim
 Cyclopum Cærerisq; domus) Trinacia montes
 Finibus extremis diuersa per æquora fundit,
 Cumq; Peloriade Lilyben, vastumq; Pachynum:
 Interius celebrem flammis viuacibus Ætnam,
 Atq; Erycis templum & claras amplectitur vrbes,
 Messanam, Catinam simul & Megarenſia rura,
 Cumq; Syracusis Drepanum, notamq; Panormum,
 Tauromenō Camerinā, Agraganta, Leontion, Hy-
 Sunt etiā Adriaco Diomedis nomine dictæ. (blā.
 Et quas Ionium late circumfluit æquor,
 Phœacum sedes Corcyra, & littus Echinæ
 Insula mox Cephalenorū, & nemorosa Zacynthus,
 Illustrisq; Ithaca, & Strophades quas dira Celæno,
 Harpyæque aliae quondam tenuisse feruntur.
 Hinc Theganusa iacet, Venerique dicata Cythera,
 Insuper & Salamis, propiorque Ægina: sed intus
 Myrtoum Sporades fluctu circumsonat æquor
 Nisyron, Olearon, Theram, Melonque rotundam,
 Syron & Hippurim, Patmō, viridemq; Donysam:
 Inde Lebynthon & Icariam, sparsasque per altum
 Cycladas, albentemque Paron, planamq; Seriphon,
 Mox Delon Mycone celsa Gyaroque reuinctam,
 Florentemque Cythnon, Sicynon, sacramque Lyæo

Naxon,

T E R T I V S.

Naxō, & hinc Siphnō, & Rhēnē, mox Tenō & An-
 Separat Aonijs procul hinc Euripus ab oris (drō
 Euboicas vrbes, Chalcin, niueamque Caryston,
 Ceneique iugum, infidumque Capharea nautis.
 Adde tot Āgāo distinctas æquore terras,
 Sciathon, & nitidis lētam Pēparethon oliuis,
 Tum Scopelon, Scyrū, & Vulcani mœnia Lemnum.
 Threiciamq; Samū, Tenedō, mox Chiō & Imbron.
 Et Mitylenæam spacioſo littore Lēſbon,
 Iunonisque domum, sed Astypaleia rura,
 Carpathijque maris Rhodiorum & Apollinis vrbes,
 Lindon, Ialyſonque ſimul, veteremq; Camiron.
 Illustrant etiam Creten hecatompolin vrbes,
 Lyctus & hinc Gnosus, Cydon, Gortina, Lycaſtus,
 Atque aliae, quarum vix nomina nota ſupersunt:
 Ida Iouis cunæ, & Dictæi culmina montis,
 Hisque Samonian adiunges, Criuque Metopon.
 Iſſicus inde ſinus Cypri complectitur vrbes, (lis-
 Cū Salamine Paphū, grauidāq; Amathunta metal-
 Sed quid nota ſequor? multæ ſine lege iacentes
 Inſulæ oceano in magno, medioque profundo,
 Partim homini cultæ, partim deserta ferarum
 Pascua, neglectis pelagi clauduntur in oris.
 Quædam iam celebres, olim ſine nomine terræ

L I B E R

Multarum nec honor priscus, neq; nomen habetur,
Sed liber hoc portu fessas subducere naues.

R V D I M E N T O R V M C O S-
mographicorum Liber IIII.

POstquam praecipuis caeli terraeque marisque
Partibus inuesti, verboque creata potenti,
Humanaeque, manus monumenta stupemus & artem:
Nunc propiora sequi, mundumque videre minorem,
Et quicquid proptertalem Deus ipse creauit,
Ingeniumque hominis longo quae reperit versu
Dicere pergemus: superent modo nomina rebus.
Principio terrae dominum, rerumque potentem,
Préstantem specie fortunatumque superni
Numinis aspectu, quamuis damnauerit error
Impius, & dirae subiecit corpora morti:
Non tamen ingenuae penitus vestigia formae,
Nec datae cesserunt diuinae semina mensis:
Quae solus nouit, solus scrutatur ab alto,
Qui regit affectus varios, animisque vigorem
Suggerit, & corpus magnis virtutibus implet.
At nobis breuiter, quae sensibus vndique nostris
Occurrunt notae referentur carmine partes
Corporis & summo quae sunt a vertice membra.

Sanguis

Q V A R T V S.

Sanguis, adeps, cerebrū & pingui cū carne medullā
 Venarumque viae graciles, arteria, nerui,
 Ossaque, membranæ, sudoriferique meatus,
 Et cum visceribus distinctæ in corpore fibra.
 Moxque decus capitis vultus, geminæque lucernæ
 Corporis & custos teneræ palpebra pupillæ,
 Occiput atque aures, cilium, caluaria, nasus,
 Maxillæ duplices, & frons sacrata pudori,
 Temporaque & nares, calamistratiq[ue] capilli,
 Elatumque supercilium, promissaque barba.
 Mandibulamq[ue] tegens mentum, labiumq[ue] decorum,
 Os hominis, rostrumq[ue] auium, rictusq[ue] ferarum.
 Hinc guttur subit, atque imo tonsilla palato,
 Et gula dependens à faucibus, inque recuruis
 Gingivis dentes, septæ munimina lingue.
 Affinis iugulo ceruix, collumque superbum,
 Spinaque xertebris toto fortissima dorso,
 Brachia cum scapulis, humerus, manus, vlna, lacer-
 Musculus, axillæque cauæ, cubitiq[ue] sequentes, tuis,
 Palmaque cum digitis, index cum pollice, verpus,
 Sinciput atq[ue] uter, cutis, & cum ventre papilla,
 Et ventris medium, atque extremi corporis vngues,
 Hinc laterum robur costæ, præcordia, mammae,
 Intestinorum series, cordisq[ue] recessus,

L I B E R

Splen cum felle, iecur, pulmo simul ilia, lumbi,
 Et fons morborum stomachus, vesica, renesque
 Pectora cum pugnis, & edax cum clunibus aliis,
 Mentulaq, & femorum partes cum cruribus: inde
 Vulua, nates, inguen, matrix, præputia, testes.
 Cum genibus tali, & gemino cum poplite sura,
 Plantaque cum pedibus, robustaq, tibia, còxae,
 Postremiq, simul calces, & quicquid in ipso
 Corpore diuersum supereft, propriumque ferarum:
 Concha, pilus, squammæ cum pennis, vellera, setæ,
 Vngula, cumque toris palearia, pellis & armi,
 Cornua cum criftis, mox cauda, proboscis & alæ.

Sed dum præcipuos memoramus corporis artus,
 Sensim ad res alias ventum est: pariterq, videndæ
 Quadrupedum species, sœuarumque ordo ferarum,
 Iunctaq, reptilium varijs insecta figuris,
 Squamigerumque genus pisces, pictæq, volucres:
 Et quicquid natum tellus habet, aer & vnda,
 Atque hominis pedibus subiectum, plurima paßim
 Sponte sua confert securæ commoda vitæ.
 Principioque duces, aries & taurus, & hircus,
 Mox equus & mulus, verres, maialis & agnus,
 Inde sues, veruex, cumq, ægris porcus asellis,
 Lanigeriq, greges, ouium petulansque capella,

Bubalus

T E R T I V S.

Bubalus ac barrus, vitulus, bos, vacca, caballus,
 Capreoli, leporesque leues, & odora canum vis,
 Armeniae tigres, iracundique leones,
 Cumque lupis vrsi, lynces, panthera, camelus,
 Simius, ichneumon, erinaceus, hinnulus, histrix,
 Rhinoceros, elephas, crocodilus, cercopithecus,
 Tragelaphusq, hippopotamus cum dorcade ceruus,
 Sænus aper, volucresque ibices, pardique feroce,
 Sylvestresque onagri, vulpes, leopardus & vrus,
 Talpaque luce carens, crocata, sciurus, hyæna,
 Castores amphibij, lutræ, damæque fugaces,
 Murilegi feles, sorices cum muribus atque
 Mustelis, glires, viuerra, cuniculus, hœdus:
 Ignoræque aliæ species atque ora ferarum,
 Quæ passim varius sine nomine procreat orbis.
 Corporis exigua sunt & quæ mole feruntur,
 Fucus iners, apiumque genus, vespaq, nocentes,
 Infestumque crabro pecus; atque infestius œstrum,
 Musca, culex, bruchus, cynomya, teredo, locusta,
 Atque hyemis formica memor, segnisque cicada,
 Blattaque, papilio, tineæ, & cum cimice bombyx,
 Pyraustæ simul & nitidis lampyrides alis,
 Curgulio, campe, conuoluulus atque ceraastes,
 Hinc eruca pulex, & amica cruxis hirudo,

L I B E R

Stellio, lumbricus, scarabæus, araneus, aspis;
 Scorpius, aspectuq; nocens basiliscus, echidna,
 Cochlea, & infestus serpens, buprestis & hydrus,
 Tum domiporta subit testudo, lacerta, dracones,
 Tipula, rana, grauis bufo, salamandra, rubeta,
 Cantharis ac limax, scolopendra, phalangia, gryllus.
 Quin etiam liquidis quedam pascuntur in vndis,
 Ostrea cum conchis, cancer cum murice, perca,
 Cetus, amansq; hominis delphinus, phoca, balena,
 Versicolor polypus, cum passere salpa marino,
 Carpio cum scombris, & cum torpedine rhombus,
 Cumque halece scarus, murenaq; sephia, salmo,
 Gobius, aurataeque, acipenser, mena, silurus,
 Tymnus & anguilla, canis, & cū mugilæ congrus;
 Hinc lupus ac barbo, mulusque, echeneis, hirundo,
 Quique ferunt alijs accepta vocabula rebus:
 Inde genus volucrum cœlo quod gaudet aperto;
 Anser, anas, perdix, turdus, gallina, palumbes,
 Nisus & accipiter, motacilla, monedula, miluus,
 Psittacus hinc sequitur, pictisq; nitentia pennis
 Corpora pauonum, phasianus, turtur, hirundo,
 Vocales merulæ, fringillaq; frigore gaudens,
 Regulus, halcyonesq; & sturnus, alauda, coturnix,
 Attagen atque apodes, philomelaq; passer, acanthis;

Pica

Q V A R T V S.

Pica loquax, aquilæq; leues, & garrula cornix,
 Graculus & picus, cuculus, curruga, columba,
 Gryphes hyperborei, phœnix simul ardea, cygnus.
 Struthius ac falco, & cum porphyrione pygargus,
 Æriæque grues, longoqué ciconia rostro:
 Hinc fulica atque parix, vultur, ficedula, mergus,
 Et cristatus epops, ibisqué infesta colubris,
 Noctuaq; & meropes, bubo funestus, & ortus,
 Nycticorax, ulula, strix, vespertilio, coruus,
 Quæque locis alio viuunt sub sole remotis,
 Et peregrina tenent cognomina. Protinus illis
 Quicquid in Alcinoi syluis, & Adonidis hortis
 Crescit, hamadryadum saltus, viridesq; napæas,
 Et quas immenso tellus producit in orbe,
 Vallibus aut campis fluuijsq; & montibus altis,
 Per varias species necemus in ordine plantas.

Primaq; citr^o adeſt, mox cedr^o & innuba laurus.
 Hinc acer & ficus, pingueſque ſequuntur oliuæ,
 Pampinea vites, & amictæ vitibus ulmi,
 Perficus atque pinus, ſambucus, amygdalus, ornus,
 Sacra Ioui quercus, frondosaq; tegmine fagus,
 Castaneæque ſimul coryli, patulæq; iuglandes,
 Bdellia, lentifcus, fructuq; onerata rubenti
 Arbutus, & lencæ victoris præmia palmæ,

L I B E R

Populus & præcox cerasus, nodosaquæ cornus;
 Et platani steriles, curvataque glandibus ilex;
 Hinc abies, pinusque virens, labrusca, cupressus,
 Esculus ac tædæ pingues, ferulæque minaces,
 Molle filer, piceæ, malus, terebinthus: at inde
 Taxus & amnicole salices, lentaque genistæ,
 Mesphilus & morus, larix, oleaster, arundo:
 Mox hebenus, lotusque & spinis prunus acutis,
 Et cum iuniperis cytisi, fastuæque mariscæ:
 Hinc tiliæ molles, & fraxinus vtilis hastis,
 Horrentesque rubi, simul & viburna, chamædrys,
 Cum rusco sorbus, cum spino myrtus & alnus,
 Perpetuoque virens buxus, tenuesque myricæ:
 Milleque pomorum species, quibus optima tellus
 Exprimit variis imæ radice sapores;
 Cum nucleis resinam, & maturo semina fructu,
 Cumque acinis baccas, glandesque, vuasque, nucesq;
 Hinc frutices simul & nitidæ cum floribus herbæ,
 Balsama cum casia, thus, myrraq; nardus, amomum,
 Acacia & moli, mox dira aconita sequuntur,
 Narcissus, viola, & nimium rosa plena pudoris,
 Caucalis, œnanthe, rododaphne & amaracus, iris,
 Acorus, hyssopusque, althæa, lauendula, caltha,
 Fæniculumque anisumque chelidoniumque crocumq;

Rugosum

QVARTVS.

Rugosum piper, & pallentis grana cumini,
 Et cum lactucis carophyla, zingiber: inde
 Ozima chærephylumq; immortalesq; amaranthi,
 Et satureia thymi referens thymbraeq; saporem,
 Salvia, dictamnus, blittum, colocasia, sandyx,
 Peucedanumq; apiumq; melanthia, petroselinum,
 Ambrosia, & baccæ semper frondentis acanthi,
 Capparis & tristes inulae, corruda sinapis,
 Artemidisq; chamæpidiosq; atque achrados herbæ,
 Allia cum cepis, coriandra, papauer, anethum,
 Corchorus in lachanis, carex, absinthia, spelta,
 Rutaq; serpillumq; & suave rubens hyacinthus,
 Silphion, andrachne, raphanus, nasturtia, caules,
 Brassica cum rapis, cyperus, spinacia, porrum,
 Pisæ, fabæ, ciceræ, reliquiq; leguminis ordo,
 Ordeaq; & milium, far, chondrus, auena, siligo,
 Infelix lolium, viciæ, tristisq; lupinus,
 Triticeæ messes, & humi nascentia fraga,
 Cum fœnugræco staphylinus, aristolochia:
 Hinc eruca salax, scolymus, satyriq; gemelli,
 Marrubiū, panicumq; & hyosciamus, sagapenum,
 Lapsana, verbascum, plantago, anchusa, simulq;
 Esula cum betis, solanum, styrchnus, oryzæ,
 Lilia, menthastrumq; euphorbia, centaurea,

D

LIBER

Abrotanum, seseli, mox & cynoglossa sequuntur,
 Asphodelus, smilax, eryngion, enneaphyllum,
 Pulegij, nepetæ simul & borraginis herba,
 Bettonica & scandix, muscus cum rore marino,
 Inde meliphylon, panaces, scammonia, scilla,
 Solsequiu, graueolens cunila, ac verbena, pyrethrū,
 Hellenium, lupulus, buglossa, filix, adianthum,
 Errantes hedera, lapathus cum baccare, malua,
 Menta, leonpodion, lentes, niueumq, ligustrum,
 Cum rutilis ebuli baccis, melilotus, hibiscus,
 Intybus atque atriplex, boletus, cubera, fungi,
 Asparagi, pepones, bulbi, gelidusq, citrullus,
 Et tenero cucumis, longoq, cucurbita collo,
 Saxifraga, virginum, mox glycyrriza, melones,
 Granaq, pæoniæ, vaccinia, costus, aizon,
 Anthemis, & viscum quod non sua seminat arbos,
 Ptisana, symphytonq, cichorea, myriophyllum,
 Clematis atq, aloe, ladani, hypericonq, foratum,
 Hinc siser, helleborusq, duplex, & noxia succo
 Galbana, lonchitis, mox camphora, titthymallusq,
 Mandragoraq, simul flores & mœsta cicuta,
 Spinaq, cum rusco, paliurus, lappa, triphyllon,
 Carduus ac tribulus, rhamnusq, vrtica, faselus,
 Cum pentaphyllo saliunca, dracunculus: inde

Cannabis

Q V A R T V S.

Cannibus & spartū, linumq; anagyrus & eruum,
 Iuncus cum scirpo, simul vlua, papyrus & alga,
 Stirps, radix, folium, flores cum cortice, rami,
 Spicaq; cum siliquis, stipulae q; & culmus, arista,
 Sed quis cunctarum vires & nomina verbis
 Explicet, aut possit totidem discernere formas?
 Cum plures herbæ quam nomina: proinde relictis,
 Naturæ rebus, magis explorata sequemur.

Atque magistratus dicemus & officiorum
 Nomina, & artificum diuersas ordine sectas,
 Archiduces, comites, celsum cum principe regem,
 Induperatorem, chiliarchon, & inde tribunum,
 Hinc subit inuicti miles cum cæsaris armis,
 Satrapa, præfetus, gemino cum consule questori,
 Mox proconsul, eques, vexilliferumque secuti
 Cum ducibus, præco, legatus, scriba, fattelles,
 Aedilis, prætor, iudex, equitumque magister,
 Interrex, censorque grauis, sanctusque senatus,
 Patricioque simul cum dictatore decani.
 Carnifici iunctus centurio, lictor & augur,
 Pontificumque grauis fido cum præside cætus.
 Ianitor atque vigil, cumque aedituente sacerdos.
 Sunt etiam variæ famosi nominis artes,
 Quas quis vel casu, quel quas ratione secutas:

D 2

Hinc professorum venit longissimus ordo,
 Grammaticus, rhetor, dialecticus, inde sophista,
 Astrologus, geometra simul, iurisque peritus,
 Philosophus, medicus, post musicus atque poeta,
 Cumque mathematico socius chirurgus, et acri
 Physicus ingenio, vates, phonascus, alipres,
 Tibicen, historicus, phrygio, tractator arithmi,
 Bibliopola simul sculptor, coccus, archimagirus,
 Chalcographus, solers pictor, praesagius aruspex.
 Inde propola venit pariter cum litis amante
 Causidico, post hunc fidicen, vespillo, gusque
 Pannifices, fullo, tubicen, figulusque sequuntur,
 Institor, aurifices, mercator, pharmacopola,
 Mox lapicida, faber, cytharædus, pellio, textor,
 Cumque trapezitis, fusor, gemmarius: inde
 Vinitor, herbarum legulus, factorque papyri,
 Athletæ, pugiles, et cum cursore probatus
 Schœnobates, tonsor, chartarius et gladiatori,
 Quique simul statuas, vnguentaque cribraque, sellas,
 Carbonesque solent et vitra parare, quibusque
 Bractea, marsupium, pariter cementa, sagittæ,
 Plaustraque, carpentumque dedisse vocabula constat.
 Funificesque simul futor, eoriarius: et mox
 Oeconomus, lanius, pincer naque, et architriclinus.

Pistor.

Q V A R T V S.

Pistor, & hinc molitor, mensarius, & publicanus:
 Tum gladiorum opifex, & notior hospite caupo,
 Nauta simulq; agilis remex, auriga viator,
 Agricola atque olitor, piscator, villicus, auceps,
 Hinc durus messor, tornarius, histrio, sartor,
 Mulio & aegonomus, venator, fossor, agaso,
 Pastor & vilo, mox bubequa, magno, subulcus.
 Inde gradus veniunt, & iuncti sanguine cœtus,
 Agnati pariter cognatorumq; propago,
 Affinis, coniunx vxor, procus atque maritus.
 Cum socero, sponsusq; gener, socrusque, nurusque,
 Sobrini, patruusque grauis, geminiique parentes
 Cum genitrice pater, mater tera, consobrini,
 Germanique simul fratres, gratæque sorores:
 Hinc patruelis ades, natiique simulque nepotes,
 Mox & auus proauusque & auunculus atq; gemelli,
 Fratris cum leuiro, iunctusque sororius: inde
 Vitricus, atque audax sequitur cum glore nouera.
 Priuignus pariterq; amita atq; amitinus: at ultra
 Patronusque reusque cliens, testator & hæres,
 Et cum legitimo paruus tute pupillus.

Nunc simul ingenij clarorum inuenta virorum
 Instrumenta, operum varius quæ postulat usus:
 Et structurarum partes, luxusque regentis

Corpus & escarum percurret nomina carmen.
 Quanquam haec de multis sint pauca vocabula rebus:
 Mensa, tripos, tabrum, catus, scutella, canistrum,
 Urceus ac scyphus, mox amphora, cantarus, verna,
 Olla, lebes, cacabus, discus, sartago, patella,
 Arca, lagena, cadusq; & cocta fidelia limo,
 Libra, calix, modius, crater, lanx quadra, salinum,
 Pocula cum calathis, gutturnia, peluis, amussis,
 Et cum pistillo mortaria, follis, abenum,
 Fuscina, marsupium, & firmis carchesion ansis:
 Inde veru, coclear, chytropus, mantile, paropsis,
 Cupaque cum loculis, cyathi, pateraque capaces:
 Mox infundibulum, culter, craticula, funda,
 Mappa simulq; abacus, lychnus, cū forfice, cribrum,
 Atque Cytoriaca plena cum pyxide eistæ,
 Tessera cum talis, agilis pila, deinde fritillus,
 Tibia, testudo, cytharae, tuba, fistula, plectrum,
 Dux laterna viæ, speculum, candelabra, sistrum,
 Stragula, lodices, lectus, substrataq; mollis
 Culcitra, puluinar, cunabula, sponda, scabellum,
 Scrinia ceruical, iunctisque aulæa tapetis,
 Circinus, ampulla: mox dentiscalpia, corbes,
 Antlia, rastelli, multrale, catena, batillum,
 Fusus, verticulumq; colus, glomus, annulus, orbis,

Filaq;

Q V A R T V S.

Filaq�, pecten, acus, simul addita licia telæ,
 Hinc dolabra, lima, cum forcipe, malleus, incus,
 Ascia cum terebro, cuneus cum cote securis:
 Tum runcina, scopæ, fabrilia scalpra, dolones,
 Torcular, & prælum, ac dentatæ lamina ferræ,
 Sarcula, ventilabru�, & triplici cum falce bidentes,
 Carpentum, temo, currus, rota, vomis, aratrum,
 Arbuteæ crates, & mystica vannus Iachi,
 Stiuqa�, cum radijs, buris, ligo, canthus & axis:
 Hinc saccus, dolium, contexta�, fiscina virga.
 Gausape, mox restis, pluteus, lectica, cylindrus,
 Tribula�, traheæ�, & iniquo pondere rastri,
 Sella quoq�, & phaleræ, strigiles, furca�, bicornes,
 Calcar cum stimulis, & ephippia, frena capistrum,
 Retia, muscipula�, amites, pediceæ, atque matellæ,
 Verriculum�, auidisq�, voratus piscibus hamus,
 Hasta�, cum clipeo, gladius, vagina, bipennis,
 Calua, simulq�, arcus, & plena pharetra sagittis,
 Pugio, bombardæ, catapulta, balista, flagellum,
 Mantica, malliū, trochus atq�, nouacula, parma.
 His quoque diuersæ succedunt ordine partes,
 Ædibus in cunctis quæ plusiù minusiù struuntur:
 Porticus, aula, domus: pavimentum, limina, postes,
 Ostia, vestibulum, & bifores cum cardine valvæ.

L I B E R

Atria, triclinium, puteus, cœnacula, scannum,
Cum locuplete penu stabulum, vinaria, cellæ,
Hinc hypocausta, bases, cameræ, celsæq; columnæ,
Iuncta q; cum caueis apotheca, cubilia, fornix,
Carcer, & effosso, deducta cloaca canali:
Inde peristylium, testudo, gynæcion, antæ,
Cum fundamento paries, laquearia, portæ,
Janua, & interior postica, fenestra, lucanar,
Pessulus atque seræ, clavesq; repagula, vectes,
Pergula, scala, gradus, podium, præsepe, caminus,
Moxq; culina, focus, fornax, sumaria, furnus,
Hortus & impluuium, granaria, balnea, turres,
Area, protectum simul & subgrundia, culmen,
Scandula cū trabibus, tegulae q; & tignus, & imbrex,
Horrea, cancelli, & summi fastigia tecti.

Sunt etiam nauis partes, & multa suppellex,
Malus, & antennæ transuersis cornibus, unde
Carbasa dependent, remi, crassi q; rudentes,
Transtrorum series, pariterq; harpago, carina,
Ancora cum rostro proræ, fixusq; repandis
Puppibus & certo rectus moderamine clavis.

Indumenta simul vario confecta labore,
Pellibus & pannis, de bombyce, vellere, lino:
Purpura, pelliciumq; chlamys, toga, penula, sindon,
Pallia,

Q V A R T V S.

Pallia, diplois, strophium, multicia, peplum,
 Hinc tunicis manicae sunt, & redimicula mitris;
 Byssus ad haec, & cum lato sudaria clavo,
 Infulaq, & regale decus diadema sequuntur,
 Bullaq, & interulæ, stola, flammea, vitta, lacerua,
 Cingulus & caligæ, braccæ, prætexta, tiaræ,
 Baltheus ac thorax, galeæ mox fibula, cestus,
 Fascia, cilicumq, & prodigiosa cuculla,
 Fimbria, reticulum, chirotheca, monilia, pallæ,
 Sandalium, torques, tremulæq, in vertice crista,
 Supparus atque sagum, loricaq, limbus, abolla,
 Centones, trabeæ, cum cyclade, læna, calyptra,
 Palludamentum, femoralia, bardocucullus,
 Calceus, atque ocreæ, conus, pileusq, galerus,
 Cum soleis, crepidæ, socci, celsiæ, coturni.

Sunt etiam omnigenum delectamenta ciborum,
 Siue ea dura fames reperit, siue ipsa voluptas:
 Panis & intritum, simul & bellaria, pultes,
 Affaq, cum frixa atq, elixa carne, medulla,
 Condimenta salis, mox & prædulcia mella,
 Saccaron, offa, garum, tucceta, tomacla, polenta
 Cum pulpamento, scriblita, botellus, & ouum,
 Artocreaq, fauisq, recens, obsonia, manna,
 Pappaq, farcimen, petaso, placenta, butyrum,

L I B E R

Durati sale terga suis, cum sumine, perna,
Caseus, iſſicum, succida, deinde minutal,
Castanea ēq; nucesq; & suaue rubentia mala.
Hisq; epulis grati miscentur ſæpe liquores,
Hydromel, & mulsum, ceruſia, nectar, acetum,
Potus aquæ, zythum, cum ſucco pinguis oliui,
Cumq; mero vinum dilutum, ac defruta, mustum,
Hinc muriæ latices, & optimi copia lactis,
Vile ſerum, vappaq; ſtupor, ſiceraq; ſapores.

Verum hæ humanae diuis concessa ſaluti,
Morborum ingenti contra pensantur aceruo:
Quos tandem pariunt vitiati in corpore primum
Quatuor humores, cholera & cū ſanguine phlegma
Atque melancholia: & rerum peruersus abuſus.
Nanque aer, cibus & potus, motusq; quiesq;
Somnus & excubiae, replendiq; insuper ordo,
Affectusq; animi, multum dominantur utrunque
In partem, & prauo generant moderamine morbos:
Qui partim chronicci, partim nominatur acuti.
Hinc tuffis, ſpasmus, tetanus, dyspnœa, catarrus,
Vulua, ſingultusq; & cum raucedine rheuma,
Strumaq; cum gibbo, ſycoſis, verruca, cicatrix,
Vomica, lichenes, varix, glaucoma, parotis,
Et cum furfuribus, cumq; intertrigine ſcyrrus,

Lentigo

Q V A R T V S.

Lentigo ac scabies, & cum porrigine pfora,
 Phthiriasisq; scantes, furunculus, inq; petigo,
 Et quæ vicini corpus contagia lœdunt,
 Mydriasisq; simul madarosis, opisthotonusq;,
 Polypus & graueolens ozæna, grauisq; coryza:
 Hinc & alopecia sequitur, cephalæa, veterus,
 Leucoma, ægilops, ophthalmia, branchus & aphtha,
 Trichiasis, vitiligo, simulq; scotoma, synanche,
 Et tactu mentagra nocens, epinyctis & alphos,
 Phthisis, erysipelas, anorexia, syncope & asthma:
 Moxq; paronychia morbo subit algos odonton,
 Hemicræna grauis, manuum nodosa chiragra,
 Lepra, elephantiasis, cancer, gangræna, parulis,
 Hernia, prurigo, rhagades, tumidæq; mariscæ:
 Inde gonorrhææ labes, stranguria, & horror,
 Ischias, arthritis, phagedæna, podagra, marasmus:
 Tumidysenteria fluxus, & tormenta ventris.
 Cumq; diarrœa, lienteria, atque tenasmus,
 Icterus, ascites, simul hæmorrois, & hydrops,
 Bulimus, & languens dispepsia, calculus, ichor,
 Colica, lithiasis, dysuria, mox diabetes,
 Cumque priapismo, bubon obsecenus: at inde
 Cæliacus morbus, pleuritis, & enterocele,
 Cardiacusq; dolor, tonsilla, nephritis & anthrax,


L I B . Q V A R T V S .

Incubus, hydrophobus, raptæq; epilepsia mentis,
 Quem morbū herculeū dicunt, sacrumq; caducumque
 Infaustum inter suffragia committialem,
 Nec paralysis abest, pariterque epidemica pestis.
 Ecstasis, ex maniæ furor, atq; insana phrenitis.
 Ileos, abscessusq; graues, apoplexia morbus
 Sonticus: hinc herpes, & condyloma sequuntur.
 Exanthema, simulq; oscedo, cachexia, phlegmon,
 Pulmonis spenisq; labor, cephalalgia: febres,
 Hætica cum putrida, tritæa, & ephemera, causon,
 Quartana atque aliæ, quarum discrimina nouit,
 Qui solus mundi cunctas speculatur abyssos,
 At nos chiliadas rerum numerare parati,
 Vocibus in medio priuamur: nec tamen ista
 Nomina cum proprijs pigeat perdiscere rebus.
 Cætera que restant, nec sunt numerata sub istis
 Versibus, explebunt doctorum scripta virorum,
 Nos quoque difficulti functi mea musa labore,
 Cum perculta graui premerentur pectora fluctu,
 Arma inter media, & rabiosam dæmonis iram:
 Carmina nunc alios potius cantare sinamus.

F I N I S.

CIRCVLI SPHAERAE


C V M V. Z O N I S.



8

ORDO PLANETARVM

C V M A S P E C T I B V S.




REGIONES ET NOMINA
VENTORVM.

SEPTENTRIO.

Θραονίας	Απαρκτίας	Βορέας
Circius.	Septētrionarius	Aquilo
	Nord.	

OCCIDENTIS.


Αργέσης	Kaenias
Caurus	Hellestōtius
Ζεφύρος	Απηλιώτης
Fauonius	Subsolanus
Vuest.	Ost.
Λίψ	Eυρό-
Africus	Vulturnus



O R I E N T I S.

Αίρεντος	Νότο-	Εὐρόνος
	Auster.	
	Sud.	

MERIDIES.





3






b









b 3





















Білка
Університет

4246



8 кв бг





НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ІСТОРІЇ